



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

XXI. Johann, Herr von Mecklenburg, versichert die Bürger Stendals, welche nach Wismar und sonst nach seinem Gebiete Handel treiben, für das laufende Jahr seines Schutzes, am 5. Juni 1258.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

XXI. Johann, Herr von Mecklenburg, versichert die Bürger Stendals, welche nach Wismar und sonst nach seinem Gebiete Handel treiben, für das laufende Jahr seines Schutzes, am 5. Juni 1258.

Johannes, dei gratia dominus magnopolensis, viri honorabilibus et discretis, Advocato, Consulibus ac universis civibus in Stendal constitutis prosperis gaudere successibus cum salute. Ut id, quod nostra confirmat auctoritas, non deleat alicujus calumpnie difficultas, volumus universis, ad quos hec scripta deveniunt, esse notum, quod nos omnibus, quos de civitate Stendal et de illis confinibus ad civitatem nostram Wismar et ad alios terminos nostros declinare contingerit mercatus sui causa diuersorumque negotiorum occasione, pacem firmam, fidem inuiolabilem promittimus obseruare, in veniendo et redeundo, pro nostre possibilitatis effectum. Ne autem alicui cedat in dubium, presentes literas nostras transmittimus, sigilli nostri munimine roboratas. Tantum presentis anni per circulum valituras. Datum in Wissemaria, anno gratie M^o. CC^o. LVIII^o., Nonas Junii.

Nach dem Originale im Stendalschen Rathsarhive No. 9.

XXII. Papst Clemens IV. gestattet den Brüdern und Schwestern des heil. Geisthospitals zu Stendal, in der Capelle desselben für sich und ihre Hausgenossen gottesdienstliche Handlungen vornehmen zu lassen, am 4. August 1265.

Clemens, Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Rectori, Fratribus et Sororibus Hospitalis de Stendal, Halberstadenensis Diocesis, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Vestris supplicationibus inclinati, ut in Capella vestra Hospitalis de Stendal absque alicujus contradictione Vobis et Familie Vestre duntaxat possitis facere celebrari Divina, salvo in omnibus Jure Parrochialis Ecclesie, aliqua Apostolice Sedis Indulgentia, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri, nequaquam obstante, Vobis auctoritate Apostolica indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre Concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Perusii, II Non. Aug., Pontificatus nostri Anno Primo.

Beckmann's Beschreibung a. a. D. Sp. 125.